



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Paderbonensis Lutheranus n. 24

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

se apud maledictos Iesuitas literis operam non daturum. Non equidem (respondit adolescens) apud maledictos Iesuitas in studio literarum incumbam, sed apud Benedictos, ac proinde haud inuitus tale chirographum ipsis relinquam. Sic in Annal. Soc. ann. 1603. fol. 55.

Vbi ipsi sunt Lutheranisimus subsistere non potest.

24. A PADERBONENSI Consule Lutheranis ex Phenana Provincia palam in Senatu, foro, compitis de Nostrorum exilio agente, imo de nostra nece, Iesuitæ (dicebat ille) dum vna secum commemorarentur, Lutherum in Vrbe, & patria tota, quod portendebat, ægre sedem firmam, stabilemque habiturum. *In Annal. Soc. ann. 1604. fol. 644.*

Publica contra illos Hereticorum preces.

25. A MINISTRIS Lutheranis, & Calvinistis ex eadem Provincia publicas preces pro Concionibus indicentibus ad Nostrorum conatus evertendos. Ne Papistica (ut loquebantur) Religio pristinae vquam dignitati redderetur. *Ibid. fol. 689.*

Sunt viri honestissimi.

26. A TRANSYLVANO Lutheranis Primario, qui cum prohiberetur à Iudice Heretico, ne Iesuitas hospitio reciperet, Ergo ne (inquit) quod omnibus præstare possum, Societati præstare nequeam? Et solis viris hisce honestissimis hospitalitatis iura denegem? *Ita in Annal. Soc. ann. 1606. fol. 552.*

Ex quorum Scholis Hereticorum filij ad fidem reducuntur.

27. A VALINIANO Ex Polonia nobilioribus in publico conuentu: Nullus (inquit) filiorum nostrorum è Scholis Patrum Societatis prodijt, qui Ecclesiæ Romanæ, relicta Parentum suorum fide, non sit aggregatus. Ego aliquot filios tradideram ad scholas illorum erudiendos; & omnes iam à mea fide diuersam fidem profitentur. *Sic in Annal. Soc. ann. 1608. fol. 716.*

Quantum in illos Hereticorum inmodium.

28. A TYRONENSI Ex Hereticorum præcipuis, quem cum rogaret Catholicus Sacerdos, cur in sua Bibliotheca imagines Luthert, Melantonis, aliquorumque Diuorum, quos vera veneratur Ecclesia, essent depictæ, sed B. Ignatij non sic, respondit: Nunquam enim vilis hic depingetur Iesuita: ille præsertim qui cum suis discipulis noster est hostis capitalis: cum Monachis conuenit nobis, non perinde cum Iesuitis. *Ita in Annal. Soc. ann. 1609. fol. 427.*

29. A